



Rep. B. XVI. 20.

Contenta huius libelli.

1. Evadon sorton - gra
2. Evadon quuchel
3. Evadon Natu und
4. Speculum Consil. Hisp
5. *De Ratione & Via*
Septentrionales ad
Romanae Educatione
ator. Jona Henricio Meldorpiano
6. Epistola Johannis Aventotia ad
tentissimū Regē Hispania.
7. *Evadon und Valgordus Esaias*
huiusmodi
8. *Evadon für die Schiffen Traktat*
G. Durii
9. De parvise dirymoyri
10. De posse occupatis Raabii.
11. Palponista Bernardi sive
de vita privatata aulica Regi
12. De principiis Nobiscum nati
Merlingii.

DISPUTATIO I.
DE
PRINCIPIIS NO-
BISCUM NATIS.

Quam
PRÆSIDE
JOHANNE Sperlingen/ Physf.
Prof. P.

Defendet publicè
M. MARTINUS CLEMENS COLE-
RUS FRANCUS.

Ad diem 18. Decembr.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ
PRÆLO HAKENIANO, MDCLII.



Faint, illegible text, possibly a title or author name, located in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text, possibly a subtitle or a line of a list, located in the middle section of the page.

Faint, illegible text, possibly a name or a date, located in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text, possibly a name or a date, located in the lower section of the page.

Vertical text on the right edge of the page, partially cut off, possibly from the adjacent page.





I

DISSERTATIO

DE

PRINCIPIIS NOBIS-
CUM NATIS.

PRÆLOQVIUM.

Diu disputatum à majoribus nostris de principiis nobiscum natis est. Nihil dici potest, quod non dictum ab iis sit. Ut indignemur, super manifestis nobis moveri lites, Perdere enim videmur operam in re planâ. Reprehensione egent, non responsione, pertinacia ista ingenia. Quicquid obvertunt, remotum ab antecessoribus, atque discussum feliciter est. Consisterent, & morarentur secum Obrectatores, nisi cupidissimus faciendarum injuriarum animus aliorum eos abriperet. Ex conscientia suâ si metirentur vires, non multum ederent clamoris. Sed jacta est alea, ludendum esse statuunt, & eripiendum aliis, quod sibi deesse ferunt agrè. Convellenda omnia ludicris velitationi-

A 2

bus

21

bus, ne tacuisse videantur. Nos non
admodum offendimur venalibus istis
& citò perituris chartis. Domi esse pos-
sumus, & non audire petulantes. Quid
metuendum mali à falsitatibus, quas
parum fundamenti, parum virium ha-
bere, Juniores nostri intelligunt? Ca-
talogum falsitatum instituem, & fi-
dem faciam dictis. Norunt omnes,
falsum esse; Definitionem perfectam
substantiæ, accidenti, causæ, animæ,
& nescio quibus non, competere. Fal-
sum esse, Deum habere naturam & es-
sentiam Prædicamentalem. Falsum;
principia Generationis, in parte Gene-
rali Physicæ proponenda esse. Falsum;
principia Physica, materiam & for-
nam, non Prædicamentales, sed Tran-
scendentales res esse. Falsum & in-
eptum; non-ens rem Transcendenta-
lem esse. Falsum; unum & commune
dari subiectum, quod omnes formas,
tam substantiales, quàm accidentales,
suscipere aptum natum sit. Falsum;
materiam primam in ordine ad muta-
tionem, non vero in ordine ad consti-
tutionem corporis, considerandam ef-
se. Falsum; materiæ causalitatem
non per particulam Ex esse exprimen-
dam.

dam, quia Judæi dicantur esse ex patre Diabolo. Falsum; materiae causalitatem per particulam In exponendam esse. Falsum; agens naturale ex materiâ producere, quicquid producit. Falsum; ex præjacente materiâ fieri sapientiam, & cæteros animi habitus. Falsum; generationis rationem formalem in unione & non productione formæ consistere. Falsum; non patrem, sed matrem tantum unire animam. Falsum; parentes esse causas Morales, non Physicas, filiorum suorum. Falsum; naturam in stellis etiam principium quietis esse. Falsum; Soli concessam esse naturalem potestatem ad quietem. Falsum; vulgatam naturæ definitionem bonam esse, licet juxta leges Logicorum facta non sit. Falsum; Physici non esse, externas corporis naturalis causas proponere. Falsum; Physicum motus causas tantum tractare debere. Falsum; instrumenta separata dari & operari. Falsum; Finis causalitatem per actionem voluntatis explicandam esse. Falsum; actiones rerum inanimatarum respectu proximorum agentium non esse propter finem. Falsum; monstra non habere

4

berè causas veras Physicas. Falsum; omnes affectiones Physicas immediate fluere ex essentia subjecti. Falsum; locum esse corporum imperfectorum, & hominem ante lapsum non indignisse loco. Falsum; non motum, sed mobilitatem esse affectionem corporis naturalis. Falsum; per diminutionem, destructionem, & corruptionem perfici subjecta. Falsum; præter motum successivum, dari etiam motum momentaneum, quo in instanti acquiratur terminus. Et quis falsitates omnes, quis absurda omnia, commemorabit? Immensum foret, narrare si ingrederer, in parte speciali quæ occurrunt. Cuncta ista, quæ diximus, in generali parte defendenda sibi sumat. Ad species cum itur, non jam errare, sed furere videtur. Quantum cœlum patet, quantum terra & aer, lascivit hominis petulantia. Non vacat redigere in ordinem ista opinionum monstra: tantum aliqua de HOMINE afferam. Huic tres animas, duas Materiales ac Mortales, unam Immaterialem ac Immortalē, tribuit. Hanc verè organicas actiones edere haud posse statuit; nesciens quâ animâ loquatur, quâ animâ Traducianos suos irrideat, an Rationali,

28.

5
mali, an Irrationali. Oriri putat primò
animam vegetativam, cum foetus ac-
cepit organa animæ isti dicata: hinc
sensitivam accedere, cum materia u-
berius disposita & organa sensuum for-
mata sunt: denique rationalem succe-
dere, cum structura corporis absolu-
tior facta, & foetus planè conformatus
atque expressus est. Quo verò ordine
exeat animæ, an prima in ingressu,
ultima in egressu sit, expiscari non-
dum licuit. Et oriri quidem Vegeta-
tivam & Sensitivam è potentiâ mate-
riæ; Rationalem autem creari, statuit.
Non obstante isto argumento: A quo
liberi trahunt peccatum originis ab eo
etiam habent peccati originis sub-
jectum seu animam rationalem. At-
qui à parentibus liberi trahunt pecca-
tum originis. Ergò à parentibus etiam
habent peccati originis subjectum, seu
animam rationalem. Dat. Majorem,
dat. Minorem, dat. Conclusionem, &
pertinaciter negat, parentes dare libe-
ris animam. Intellectum, voluntatem,
risum & sermonem; imò visam, olfa-
ctum & tactum, ipsam animæ sub-
stantiam esse garrit, quam Deum imi-
tari, & actiones suas immediatè edere

A 4

scri-

error et animæ

arguta g a
a u

scribit. Scilicet, entia præter necessi-
 tatem non esse multiplicanda audivit.
 Eripere hinc voluit facultates anima-
 bus, quas ipse multiplicavit præter ra-
 tionem. Corpus humanum vitam ha-
 bere dicit potentiâ, etiam cum animâ
 humanâ conjunctum. Ineptè putat,
 passivam illam potentiam non tolli a-
 ctu. Quasi simul esset aliquid & in
 causis, & extra causas. Explicat hu-
 manum corpus per materiam pri-
 mam, ne formam det corpori. Cor-
 pori inquam. Hoc corpus humanum,
 in quo velut in speculo admirandum
 totius orbis ædificium conspicitur, à
 calido innato, hoc est, ab aere calido,
 factum dicit. Pudeat, ô pudeat homi-
 nem tantarum nugarum! Et quem
 non pudet, hunc poenâ dignum pute-
 mus. Nunquam responso dignus fuit
 tantarum nugarum venditor. Tantam
 ruditatem suam ut agnosceret crista-
 tum animalculum, semel atq; iterum
 respondi. Pulchrum homini versari
 inter magnos, cum pusillus ac nullus
 sit. Nunc videbimus, de Principiis no-
 biscum natis quid habeat, & quàm ju-
 cundas sibi ipsi faciat imposturas. Con-
 stabit malitiosâ interpretatione exi-
 tiu[m]

7
tium parari ætati incaute. Deus qui
veritas ipsa, qui amor ipse est, im-
pleat nos amore veri, odio falsi.

CAPUT PRIMUM.

DE

STATU CONTRO-
VERSIE.

Nihil præstandum magis, quam ut
memoria status nobis hæreat. Re-
fricanda hæc subindè, ne vana fiat ora-
tio, & labor inanis. Facta à nobis quæ-
stio est; Andentur notitiæ nobiscum natæ?
Data responsio: Qui interrogatur, ait Se-
neca, an cornua habeat, non est tam stul-
tus, ut frontem suam renter. Nostra secus
est sententia, de notitiis innatis. Qui in-
terrogatur, an habeat illas, rentare debet
& explorare animam suam. Sunt verò
notitiæ istæ habitus, à primâ infantiâ insi-
ti, & à naturâ, antequam ratio se exere-
re queat, inscripti. Dividuntur in prin-
cipia Speculativa & Practica. Illa sunt;
Deus est: Quodlibet est, aut non est: to-
tum est majus qualibet sua parte: bis duo
sunt quatuor. Hæc sunt: Deus est colen-
dus, parentes sunt honorandi: suum cui-

Anthr.
Phys. I.
Lib. I.
c. 3. q. 6.
p. 181.

notitiæ
nobiscum

A 5 que

que tribuendum: nemo laedendus: honestè vivendum. De his ergò loquitur questio, an homini ingenita & ab ipsâ naturâ communicata sint notitiæ illæ? Adeò ut habeat eas sine labore, sine monitore, sine Præceptore, sine discursu? Constat nunc, in disputationem quid veniat. An connata & congenerata nobis sint quædam notitiæ, quidam habitus, quædam qualitates? An naturâ homo sciat, Deum esse, Deum ultorem esse, neminem lædendum esse, honestè vivendum esse? An verò homo habeat tantum potentiam acquirendi has notitias? Sicut potentiam habet, acquirendi Physicam, Mathesin, aut aliam scientiam. De connatâ notitiâ, inquit D. Balthasar Meisnerus, *lis est orta, quam nonnulli nihil aliud esse rentur, quam solam δύναμιν & facultatem Deum agnoscendi, quam primùm ratio sese in homine exerere incipiat. Homini innata quidem est facultas & habilitas ad comparandam cognitionem principiorum; non autem ipsa cognitio, scribit Timplerus, lib. 3, Met. c. 1. q. 9. Similia habet l. 4. Met. c. 2. q. 2. Verùm accuratiores Theologi plerique notitias naturales connatas, non per δύναμιν, sed per ἔξιιν explicant, ideo- que*

Phil.
Sobr.
Sect. 4.
c. 9. q. 1.
p. 1128.

Phil.
Sobr.
Sect. 4.
c. 9. q. 1.
p. 1128.

9
que eas non in secundâ, sed primâ quali-
tatis specie locant, ita quidem, ut men-
ti nostrâ habitualiter, à primâ statim in-
fantiâ insint, & inscripta sint hæc quasi
vocatione, quod sit Deus; quod mundi hu-
jus curam gerat; bonis delectetur, malos
puniat, honesta velit, turpia nolit, & que
hujus generis sunt alia. Quam senten-
tiam, utpote veri similiorem, totus reci-
pio. Noster Obrectator ab illo exor-
ditur principio. *Disputatio prior, de No-
titiis Naturalibus.* Exorsus pulcher nar-
rationis pulchræ. Ut ludere, ut deci-
pere queat, removet Notitias nobis-
cum natas, & substituit Notitias Na-
turales. Inquit: *De notitiis naturalibus
dico, non de notitiis innatis sive insitis.*
*Que inter hæc duo discretionis ratio, è
dicendis patebit.* Quid malialat, novi-
mus. Sed opponentem agere induxit
animum, & in ipso limine mutare co-
natur verba. Lex est: *Oppositione con-
tradictoriâ conferenda enunciatio cum e-
nunciatione.* Servanda nostra erant, &
adversus ea instituenda contradictio.
Perspicuum qui tollit, & ambiguum
substituit, culpa reus est. Non verbum,
sed verba dat, verbum ambiguum qui
dat. Sibi capiat illud D. Dannhavve-
ri:

Disp. I.
§. 1.

Id. Bon. xi: Nisi rectè statui contradixeris, inju-
 Disp. i. riâ afficies respondentem, quem accuses
 c. 3. P. mendacii aut falsi monie ejus, qua in
 24. mentem ipsi nunquam venit. Regetur il-
 le rectè, Asino clitellas, non suum esse hoc o-
 nus. Quod quis intrivit, ipse exedat. Re-
 Disp. i. fert autem primùm sententias Auto-
 §. 3. rum. Inveniuntur aut, hac de re tres po-
 tissimùm sententia. Prima est Platonis,
 qui in Phaedro, in Menone, & in 10. de Re-
 publ. docet, animam omnia nosse, & indi-
 gere solùm aliquo extrinsecus excitante
 ad reminiscendum, Cælio Rhodig. l. II.
 Lect. antiq. c. 9. exponente. Inde scientia
 definita est reminiscencia &c. Secunda o-
 pinio est aliquorum nostræ ætatis philoso-
 phorum nec non Theologorum, qui sta-
 tuunt hominum animis primitus insitas
 esse notiones & conceptus, quibus om-
 nium disciplinarum principia contine-
 antur, & præcipuè notitiam Dei natu-
 raliter nobis à primâ nativitate ines-
 se dicunt &c. Tertia sententia est
 Aristotelis & Peripateticorum, qui sta-
 tuunt, nullam esse notitiam congenitam
 adeoque ante intellectionem primævanæ
 in intellectu nullam speciem intelligibilem
 (sine quâ quidem nulla dari cognitio po-
 test) inveniri, unde Philosophus intelle-
 ctum

Etum cum nudâ (non cum rasi) tabulâ
 comparat. lib. 3. de animâ c. 4. ut ejus δύ-
 ναμις, quâ res intelligibiles percipere pos-
 sit, ostendat. Hæc illa relatio, quam
 bonâ fide, suppresso nomine, è D. Ja-
 cobo Martini descripsit. Verba dabo, Partit.
Metap.
L. 1. 1. 7.
 atque ovum jungam ovo. Triplicem, L. 1. 1. 7.
q. 4. p.
 inquit, hic invenimus opinionem. Pri- 307.
 ma est Platonis, qui in Phædro, in Me-
 none, & in 10, de Republ. docet, animam
 omnia nosse, soloque indigere quodam ad
 reminiscendum extrinsecus excitante, ut
 ait Cælius Rhodig. l. 20. Lect. antiq. c.
 9. Unde scientiam nostram desinivit re-
 miniscentiam &c. Altera opinio est, non-
 nullorum nostræ ætatis Philosophorum si-
 mul & Theologorum, ex Platonis illâ de-
 rivata: quâ statuitur animis hominum
 primitus à Deo insitas esse notiones, qui-
 bus omnium artium principia continean-
 tur. Tertia opinio Aristotelis & Peripa-
 teticorum est, qui statuunt ante prima-
 vam intellectiōnem nullam speciem intel-
 ligibilem in intellectu dari, unde cum nu-
 dâ tabulâ eundem comparat Philosophus
 l. 3. de an. c. 4. ut aptitudinem ejus de-
 monstrat, quâ intelligibiles res omnes per-
 cipere possit. Hactenus relatio: con-
 stans, & fide digna. Decebat autem il-
 lum

§. 3.

lum modestia, ut, quæ ex alio descri-
 pfit, ipsi cum laude & gratiis tribueret.
 Sed maluit deprehendi in furto, quàm
 dare alteri, quod suum est. Nunc viam
 dicendis parare se velle ait, expositione
 nominum: quid nomine *notitia* ve-
 niat, & quid voce *naturalis*. Notitiam
 dicit pro habitu, & pro actu sumi. Pro
 habitu sumtam à nonnullis in natura-
 lem, Acquisitam, & Infusam; ab aliis
 in Naturalem, & Infusam, illam ite-
 rum in Innatam & Acquisitam; ab Au-
 gustino in Naturalem & Revelatam,
 dispefci. Addere vult limam: sed sine
 ratione, sine iudicio. Reponit ad di-
 visionem primam, notitiam natura-
 lem & acquisitam malè contradistin-
 gui, cum acquisita notitia non sit alia,
 quàm naturalis, si proprietatem vocis
 naturale intueamur. *Sive enim*, ait *na-
 turale interpretemur id, quod est ἀπὸ τῆς
 φύσεως, sive id quod est κατὰ τὴν φύσιν,*
notitia acquisita propriè & formaliter est
*notitia naturalis. Non solum enim natu-
 ra congrua est, verùm quoque à naturâ
 naturalibusque principiis pendet. Ludere*
atque decipere conatur, ambiguitate
vocis. Adeat D. Jacobum Martini, &
quo descripserat peragraphum tertium,
 quar-

quartum & quintum. Discere poterit, quot modis aliquid *ἀπὸ τῆς φύσεως* esse dicatur. Hinc vires periclitetur, medio à proprietate vocis sumto. *A natura esse, inquit, quatuor dicitur modis, ut illos enumerat Eustratius. 2. Eth. c. 1. Primum à naturâ esse dicuntur congenita, nempe quæ eadem cum eo, quod naturam in se habet, primordia obtinent & ortum. Hoc modo homini à naturâ inesse dicitur mortalitas: quippè quæ ab ipso statim ortu, simul atque humana natura existit, nobis adheret: hoc modo à natura igni inest evolare sursum; terra, loca inferiora petere. Statim enim quando ignis terraque generantur, hæc affectiones illorum naturam consequuntur. Deinde à naturâ esse dicuntur: quæ quidem non sunt congenita, sua sponte tamen successu temporis in capacibus & naturâ destinatis subjectis proveniunt, nempe naturarum demùm suas vires exerente. Hoc modo homini cavities, viro barba &c. à natura inest: hoc modo avibus à natura inest, quod nascantur ad volatum licet non statim quando excluduntur, volent. Tertiò, illa à natura esse dicuntur: quæ nequæ congenita sunt, neque sua sponte progressu temporis in subjectis habilibus proveniunt:*

Partit.
Metap.
Lib. 1. f.
2. q. 75.

niunt: sed quorum potentia tantum in-
 est, actus verò & re ipsas non nisi studio
 & labore consequimur. Sic virtus Ethica
 in respectu ad virtutes Theologicas, Spiri-
 tus Sancti gratiâ nobis infusas, à naturâ
 esse dicitur. Ultimò, à naturâ esse dicun-
 tur, ad quæ naturâ magis sumus procli-
 ves, vel quod natura magis intendit. Hoc
 modo sanitas à natura nobis inesse dicitur,
 quia magis à natura intenditur. Illo mo-
 do dicuntur Poeta nasci, non fieri. Hæc
 ne præterfluant, mandet memoriæ suæ
 fideliter Obtrectator. Incredibilem in
 modum faciunt ad solutionem obje-
 ctionum, quas exudare potuit. Intue-
 ri si vult proprietatem vocis, prima si-
 gnificatio propria quàm maximè est.
 Atque sic non malè notitia Naturalis
 contra distinguitur Acquisitæ. Aut ca-
 dit forsan distinctio, quia negat istam
 notitiam Naturalem. Quid si negaret
 corpora mista? Quæ negare cogitur,
 cum non constare illa putet ex ele-
 mentis. Lapsu graviore ruent: nam
 hominis dicta sunt facta, verba opera.
 §. 2. Contra secundam divisionem ait; na-
 turalem notitiam malè in Insitam &
 Acquisitam dividi, cum nullam agno-
 scat notitiam insitam, & cum notitia

ἔμφωσις sit σιδυρόξυλον & ἀνθρώπων
 πᾶσι ἀλογος. Arcuissimè nos constri-
 ctos habet in suis vinculis. Quia nul-
 lam agnoscit notitiam Insitam, nulla
 datur notitia Insita, & nulla est data
 divisio. Quod non agnoscit is ipse, id
 etiam non est. Dependent enim res
 ab homunculi hujus agnitione. Non
 agnoscit Traducem: hinc Tradux est
 Non-Tradux. Non agnoscit aliam
 naturalem notitiam, quam acquisi-
 tam: hinc ἔμφωσις est σιδυρόξυλον, est
 ἀνθρώπων πᾶσι ἀλογος. Profectò ἀλο-
 γος est, precio qui vendit ἀλογα.
 Et ex hac phantasia concludit: Ut eva-
 nida res sit, quando notitiam ἔμφωσις de-
 scribunt, quod sit ea, quæ uniuscujuscunq;
 animo inde ab utero insculpta, impressa &
 implantata est per ipsam naturam. Vel,
 ut alius proponit: Notitiae insitae sunt ha-
 bitus à prima infantia insiti, & à natura
 antequam ratio se exerere queat inscri-
 pti. Levissima hominis armatura est.
 Evanida res est, quia is nullam agno-
 scit notitiam insitam. Ipse ingenio va-
 nus est, tam levia atque evanida verba
 in chartas qui conjicit. Comminisci-
 tur verò aliquid contra descriptione

B

Primò

§. 13.

Primò dicit, idem per idem explicari
*Notitiæ insitæ sunt habitus insiti à primâ
 infantiâ; notitiæ insitæ sunt quæ animi
 sunt inscriptæ. Sed falsum est, notitiæ
 & habitum idem esse. Notitiæ nunc
 pro habitu, nunc pro actu sumi, con-
 cedit. Non ergò idem notitiæ & ha-
 bitus. Circumstantia temporis & sub-
 jectum cum adjiciuntur, plenior fit
 descriptio. Neutiquam verò idem per
 idem explicatur. Et si vel maximè
 essent, qui dicerent; notitiæ insitæ
 sunt notitiæ innatæ, notitiæ congeni-
 tæ, notitiæ à primâ infantiâ insitæ, aut
 notitiæ inscriptæ à naturâ; nihil quic-
 quam aberrarent à Logicorum regulis
 Essent enim Definitiones κατὰ λέξιν,
 ubi vocis significatio explicatur no-
 tiore aliâ. Secundò dicit poni notiti-
 æ, vel notitiæ modum, qui poni repu-
 gnet: tribui nature, quod ei tribui ne-
 queat; falsum & absurdum esse, naturam
 immediatè largiri mentibus nostris ha-
 bitus: non facere naturam saltum, non an-
 tevertere vel invertere ordinem suum:
 tria vulgò poni nature momenta, esse, pos-
 se, operari: per posse intelligi potentias
 naturales, quæ actus habitusque antece-
 dit*

luit

dant. Satis nugatum, quas vendere vo-
luit ob copiam, quam habet domi suæ.
 Ponunt, inquit, notitiam, vel notitiæ
 modum, qui poni repugnat. Probe-
 tur. Tribuunt naturæ, quod ei tribui
 nequit. Probetur. Falsum & absurdum
 est, naturam immediatè elargiri men-
 tibus nostris habitus. Probetur, si im-
 mediatè labori opponitur. Non facit
 natura saltum, non invertit ordinem
 suum. Probetur, id inferre notitias in-
 sitas. Tria momenta naturæ sunt: esse,
 posse, operari. Probetur, inverti
 hoc à notitiis insitis. Potentiæ natura-
 les actus & habitus antecedunt. Et
 antecedit intellectus actus & habitus
 innatos. Si non tempore; tamen na-
 turâ. Aut collectio hæc erit: antece-
 dunt tempore potentiæ habitus acqui-
 sitos, ergò non habitus connati. Acutè,
 ut solet. Antecedit labor divitias ac-
 quisitas: Ergò nullæ dantur hæredita-
 riæ. Antecedit maturitas ætatis pilos
 post genitos: ergò nulli dantur conge-
 niti. Pergit: *Sicut actus presupponunt*
potentias, ita habitus in communi. Imò,
si omnia enucleare velimus, hic nobis sese
offerat ordo. i. in habitibus qui ratione

S. 14.

B 2,

E

Et more comparantur, antecedit potentia, quæ nobis per naturam inest, velut per naturam sumus capaces scientiæ, artis &c. 2. sequitur inclinatio sive agendi facilitas 3. studio & assuetudine acquiritur dispositio; 4. ipse insequitur habitus; & habitum sequitur promptitudo & constantia ad operandum. Recitat, quæ dicit de habitibus acquisitis. Applicare hæc cum nequeat Innatis, auget quis quilibet suas. Scilicet, habitus acquisitus præsupponit actus; ergo & insitus. Habitus qui ratione & more comparantur, certo fiunt ordine; ergo & insiti. Forsan quia homo habet rationem, ergo & canis, ergo & lepus. Sed ait; supponitur autem hic natura habitus in communi. In communi, Si ratione & more, ut loquitur, comparantur, supponitur nature habitus in communi? Ubi iudicium sanum? Restrigit, & in communi supponit. Omnia quæ narrat, tantum de habitibus acquisitis loquuntur, & in communi supponit. Si vero hæc natura habitus in communi est, faciat applicationem ad habitus Infusos. Ad habitum in communi præsupponuntur actus è quibus pen-

pendeant: ergò & habitus infusi præ-
 supponunt actus: fiunt nempe per pro-
 prios actus operantis. Infusi habitus
 alii extraordinarii sunt, alii Ordina-
 rii. Extraordinarii erant Propheta-
 rum & Apostolorum. Hi sane non
 præsupponebant proprios actus ope-
 rantis. Ordinarii sunt piorum, quales
 fides, spes, charitas. Neque hi per a-
 ctus antecedentes fiunt. Falsum igitur,
 habitus in communi præsupponere a-
 ctus. Bono viro dicam, quid velit ha-
 bitus in communi. Est qualitas per-
 manens, subjectum promptum red-
 dens ad actiones obeundas. Qualitas
 est, & quidem prima qualitatis species.
 Permanens, non simpliciter, sed certo
 modo. Quatenus sine mutatione no-
 tabili non tollitur. Subjectum prom-
 ptum reddit ad actiones obeundas: or-
 dinatur enim per se primò ad opera-
 tionem. Applicari hæc possunt, non
 tantum ad habitum Acquisitum, sed
 & Concreatum, Connatum, & Infu-
 sum. Omnes hi qualitates sunt: om-
 nes certo modo permanent: omnes ad
 actiones ordinati sunt. Id observan-
 dum tantum, habitum non esse specie-
 rum

rum illarum genu^s Univocum, sed A-
 nalogum. Πρώτως acquisito tribuitur,
 δευτέρως speciebus reliquis, quæ ad a-
 liud qualitatis genus referri nequeunt.
 Cæterum, monet de principio operan-
 di, aliud esse primum, & aliud esse non
 primum. Dicit, naturam esse principium
 operandi primum; habitum principium
 operandi non primum. Nihil ad nos. No-
 tum cunctis, primariū operandi prin-
 cipium naturam esse. Agens autem
 hoc habitibus perficitur, ut benè,
 promptè, & sine molestiâ agat. Hinc il-
 li habitus: Speculativi, Activi, & Fa-
 ctivi. Ubi operationes & primario a-
 genti, & habitibus tribuuntur. Ter-
 tiam divisionem rectè se habere, vari-
 am autem vocis Naturalis ambiguita-
 tem esse, ait. Videmus, pergit, notitiâ
 naturalem ambigue dici, ob variam vocis
 naturalis acciptionem. In presentiarum
 dupliciter accipi intelligitur: 1. latè &
 impropriè, pro eo quod à nativitate inest;
 quo modo opponitur acquisito; sic peccatū
 originis dicitur naturale in Scholis Theolo-
 gorum, quod nobis connatum sit vel à
 nativitate inhereat, non verò nostro cona-
 tu acquiratur. 2. sumitur naturale pro-
 priè pro eo, quod à natura inest, & hoc
 citur

ipso secundum naturam se habet. Vel: dicitur naturale propriè, aut si mavis connaturale, quando subiectum vel agens ex suis principiis & vi constitutionis naturalis aliquid sibi petit vel vendicat, seu, quod debitum est naturæ creatæ supposito ordinario rerum cursu, quem in natura servari ejus Autor voluit. Lepidè: ut omnia. Impropriè & latè, quod connascitur. Cur impropriè? Cur latè? Ut obtinear, Acquisitas notitias propriè naturales esse: Connatas & Congenitas impropriè & latè. Astutè agere didicit omnia. Quod connascitur, naturale & connaturale est impropriè: propriè vero illud, quod non connascitur, sed acquiritur. Hæc ea naturalis malitia, in significato utroque. Audiat ducem suum ac Præceptorem D. Jacobum Martini. Primùm à naturâ esse dicuntur congenita: deinde, non congenita, sua sponte tamen successu temporis orta: tertio, nec congenita, nec sponte orta, sed studio & labore parta. Discat hinc rationes Denominativi, quod est Naturale. Primò, naturale est, quod congenitum est. Secundò, quod progressu temporis sponte ortum, Tertio, quod studio & labore

bore acquisitum. Hoc naturale tertii generis naturali primi generis antefere in proprietate vocis, contumelia insanabilis est. A nascendo natura dicitur: à naturâ naturale. Et quod connascitur latè & improprie naturale est; quod acquiritur, strictè & proprie. Naturalis hæc est pertinacia nostri animalculi. D. Martini de principiis, quæ quidem non connasci, sed tamen sine præceptore disci putat, in hæc erumpit verba: *Quocircâ quoniam principia illa præceptoris singularis monitu non addiscuntur; sed discipulo innotescunt, antequam à præceptore eruditur, adeoque proxime ad ea, quæ naturalia proprie dicuntur, accedunt, naturalia, vulgo appellantur, termino isto in latâ significatione sumto. Videt noster Obrectator, proprie naturalia dici de cõgenitis: proxime accedere quæ sine præceptore habentur, termino in latâ significatione sumpto. Nugamenta sunt, quæcunque adjicit, de Naturali notitiâ Revelationi & Illustrationi opposita, de lege Naturali & Revelata, de libro Natura & Scriptura de lumine Natura & Gratia. Omnia hæc falsam præ-*
sup-

Part.
Met.
l. 1. p.
324.

S. 17
18
19
20

supponunt hypothesian. Naturale nomen
 de Connato sed de Acquisito dici. Pri-
 mo dicitur de Connato, & hinc etiam
 de Acquisito. Falsa sunt, quæ addit:
Nec audito nomine naturalis concipimus
id quod à nativitate inest, cum etiam
non naturalia & supernaturalia possint à
nativitate inesse, & in nativitate specia-
liter conferri vel communicari; sed id
quod vel nature ex se debitum est, aut per
causas naturales inest, & legi atque ordi-
ni nature congruum existit. Quinimò
quod à nativitate inest, quatenus à nati-
vitate inest, si non ipsam essentialem re-
rum constitutionem attineat, aut causas
naturales in subiecto habeat, natureque
constitutioni conforme sit, propriè & ac-
curatè loquendo naturale non est. Sumto
exemplo à peccato originis; nec enim id
à natura est, hoc est non existit ex natu-
ralibus causis, cum causas physicè influen-
tes nullas habeat, nec etiam nature est de-
bitum, aut conveniens, sed revera discon-
veniens. De nominis notatione dictum
 ante. Supernaturalia si connascuntur,
 naturalia dicuntur, juxta primam si-
 gnificationem. Et tam naturale no-
 bis hodie peccatum originis est, quàm

§. 2^{ta}

B §

natu-

naturalis iustitia originalis fuisset A-
 dami posteris, si non peccassent. Quã-
 vis enim ex essentialibus principiis non
 fluant hæc: conjunguntur tamen cum
 nostrâ naturâ, quatenus vel Integra,
 vel Corrupta est. Altius cogitare aut
 expedire hæc, nostri non est muneris.
 Memer interim sit dictorum suorum:
Peccatum originis dicitur naturale in
Scholis Theologorum, quod nobis conna-
tum sit, vel à natiuitate inhereat, non ve-
rò nostro conatu acquiritur. Corrigan
 Theologorum sermonem animalcu-
 lum audax. Sed format Coronides
 duas. Prima est: *Non pugnant natura-*
le esse & acquisitum esse. Sane juxta a-
 liam atque aliam acceptionem pugnant.
 Multo minus vero pugnant, Naturale
 esse & Connatum esse. Naturale late sum-
 tum, pro omni eo quod naturâ absque
 speciali gratia obtinetur cum acquisi-
 to non pugnat. Strictè vero acceptum,
 pro eo quod connatum est, juxta primam
 significationem, acquisito contra di-
 stinguitur. Et sic principia nobiscum
 nata naturalia dicimus. Secunda est:
Notitia naturalis non excludit naturales
causas, & naturalia media, ut ea potius
inclu-

*includat, eademque quanta quanta est,
 requirat, sibi que vendicet. Fallere vult
 ambiguitate vocis. Naturalis notitia
 cum de Congenita intelligitur, natu-
 rales causas & naturalia media (labo-
 rem nempe & informationem,) aut ip-
 sum etiam ministerium sensuum ex-
 cludit, & simpliciter à natura obtine-
 tur. Notitia verò Naturalis, cum pro
 Acquisita sumitur admittit illa media,
 illasque causas. Argutatur: *Quaecunque
 notitia non ex speciali revelatione aut il-
 luminatione nobis obtingit, sed naturali
 intellectu sagacitate comparatur, illa pro-
 prie & verè est notitia naturalis. At-
 qui ea notitia, quam acquisitam vocamus,
 non ex speciali revelatione aut illumina-
 tione nobis obtingit, sed naturali intelle-
 ctus sagacitate obtinetur. Ergò notitia ac-
 quisita est propriè & verè naturalis notitia.*
 Repetimus ea, quæ dedit D. Jacobus
 Martini: Proprie naturalia dicuntur
 de congenitis: proxime accedunt, quæ
 sine præceptore habentur, termino in
 lata significatione sumto. Illa vero quæ
 acquiruntur usu aut informatione,
 nec hæc, nec ista antecedunt. Ita ergo
 corrigenda Major: *Quæ notitia non ex**

Part.
 Met.
 p. 324.

spe.

Speciali revelatione nobis obtingit, sed con-
generatur, illa proprie est naturalis. Quae-
vero notitia non ex speciali revelatione no-
bis obtingit, sed intellectus sagacitate com-
paratur, illa referri potest ad naturalem
notitiam termino in latâ significatione
sumto. Pergit argutari: Quaecunque no-
titia naturaliter ex concursu naturaliura
causarum & medicorum elicienda intelle-
ctioni datorum oritur, illa notitia proprie
& vere est naturalis notitia. Sed acqui-
sita notitia naturaliter ex concursu natu-
ralium causarum & mediarum elicienda
intellectioni datorum, oritur. Ergo notitia
acquisita proprie & vere est naturalis no-
titia. Est responsum. Prædicatum Ma-
ioris est; illa notitia referri potest ad
naturale notitiâ termino in latâ signi-
ficatione sumto. Pergit: Quaecûq; notitia
naturaliter nobis non comparatur, nec
gaudet principiis naturalibus & ordinari-
is notitiæ gignendæ à naturâ destinatis, il-
la notitia non est naturalis notitia. Sed
notitia innata, quam dicunt, naturali-
ter, nobis non comparatur, nec gaudet
principiis naturalibus & ordinariis notitiæ
gignendæ à naturâ datis & testinatis. Er-
gò notitia innata non est naturalis noti-
tia

ria. Vnum adde verbum prædicato
 Majoris, & principatum obtinebit ve-
 ritas. Quæ notitia non comparatur
 mediis à naturâ destinatis, ea non est
 naturalis Acquisita. Et sic conceditur
 totum. Pergit: Notitia ἐμφυλῆς aut
 est ordinaria, aut non est. Si hoc; non est
 notitia naturalis, cum nature institutio-
 ni non sit conformis, sed eam excedat, sive
 ab eâ recedat. Si illud, debet notitia na-
 ture instituto conformis esse. Non est con-
 formis notitia innata. Ad naturalem
 enim ἑσθὲν ordinarium cognoscendi modum
 requiritur concursus naturalium causarū,
 præcipuè verò vis intelligendi ἑσθὲν sensuum
 ministerium. Hæc ubi deficiunt, ibi non
 est naturalis ἑσθὲν ordinaria cognitio. Defic-
 unt autem ea in notitia innata sive con-
 nata. Ergo ea non erit naturalis ἑσθὲν or-
 dinaria notitia. Magnæ nugæ magno
 conatu dictæ. Notitia ἐμφυλῆς est or-
 dinaria. Ergo requirit ministerium se-
 suum, requirit μάθησιν, requirit ἀσ-
 κησιν. A particulari malè concludi-
 tur. Quædam notitia naturalis ac or-
 dinaria acquiritur; ergo omnis. Vna
 species notitiæ naturalis per sensus cõ-
 paratur; ergo & altera. Vna species a-
 ni-

animalis est rationalis; ergo & altera.
 In integritate si perstitissent homines,
 ordinariè & naturaliter sapiens sapien-
 tem, justus justum generasset. Nunc
 ordinariè & naturaliter reliquiae pro-
 pagantur: sed cum peccato originis.
 Vbi non opus ministerio sensuum; si-
 cut nec opus eodem fuisset in pro-
 pagatione justitiæ originalis. Dicit por-
 ro, *naturalem notitiam dupliciter posse*
exponi: 1. negativè, ratione specialis re-
velationis & gratiosæ illuminationis, quod
ea notitia sit naturalis, quæ non habetur
ex speciali revelatione aut gratiosâ Spi-
ritus S. illuminatione; 2. positivè, tum
ratione potentie cognoscendi, quæ natura-
lis est & à naturâ data, tum ratione ipsius
actus cognoscendi, qui naturalis est, & ex
concursum naturalium causarum, ad na-
tura institutum procedit. Atq; ex his
colligit, naturale propriè & accuratè
de acquisitis habitibus dici, & philo-
sophiam esse naturalem scientiam.
Colligit ex more. Omnino naturale
cum opponitur revelato comprehen-
dit habitus acquisitos, atq; sic philoso-
phia est naturalis sapientia. Ergo sub
naturali comprehendere non licet sci-
entiam

So 36

entiam connatam? Ergone acquisita
 scientia proprie & *ἑρῶτως* naturalis
 est? Colligit, ut solet. Inquit, *famili. §. 27*
are esse dictum, virtutem esse à naturâ,
vel ex naturâ nobis inesse; minimè autem
binc statuendum, virtutem nobis innasci
vel connasci. Cum larvis pugnat. Alia
 argumenta noticiarum dictarum pes-
 stant, non hoc quod fingit. Novimus
 naturale dici de acquisito, sed non tã-
 rum. Hinc à genere ad speciem colli-
 gere non licet. Posito genere, non ne-
 cesse est, certam ponere speciem. Ani-
 mal est; ergo canis est. Notitia natu-
 ralis est: ergo acquisita est. Et si
 duplicem vocis Naturalis acceptio-
 nem audire gestit, D. Balthas.
 Meisnerum adeat, & informationem
 capiat. Notanda inquit, est distinctio
 naturalis. Duo enim notat, 1. *συσαληκὸν*
φύσεσσι vel *ἐπὶ φύσιν* quod vel
 naturam constituit, vel immediate sequi-
 tur, quo sensu Timplerus & Pontificii re-
 bellionem virium naturalem affirmant,
 nec negamus. 2. *συνέμφυλον*, quod natu-
 ra quidem annascitur, non tamen ex na-
 tura oritur. Hoc sensu rebellio virium &
 peccatum originale saepe nominatur natu-
 rale,

uale, non quod sit ex natura, sed quia hæ-
ret in natura, & propagatur cum natu-
ra. Atque hoc sensu etiam naturales
sunt notitiæ insitæ, sicut naturalis fuis-
set justitia, naturalis immortalitas, si
non peccasset homo. Denique ad sco-
pum collimare vult, & tangere ner-
vum. Ut igitur ad scopum, ait, collime-
mus, omnem totius hujus controversiæ
nervum in tribus versari autumamus: 1.
an hominibus insit connata aliqua rerum
notitia? 2. an homines connatâ habeant
naturalem cognoscendi vim, qua percipere
possint res sibi objectas? 3. an homines &
principia naturaliter cognoscere, & ex
principiis de rebus naturaliter judicare
valeant? Ex his prima questio negatio-
nem, media & ultima affirmationem me-
rentur. Nescit, quò intueri, quo cur-
sus suum dirigere debeat. Aberrat à
scopo, non collimat ad illum. Non
versatur controversiæ nervus in eo, an
homines connatam habeant naturalē
cognoscendi vim, qua percipere pos-
sint res sibi objectas? Qui ambigit de
hoc, nec corporis, nec animi nervos
habet. Non est homo, qui nescit, homi-
nē habere naturalem cognoscendi vim,
qua percipere possit res sibi objectas.

FINIS.



152975

AB 152975

ULB Halle

3

003 015 114



86

R

V077



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



DISPUTATIO I.
DE
INCIPIIS NO-
CUM NATIS.

Quam
PRÆSIDE
NE Sperlingen/Phys.
Prof. P.

Defendet publicè
NUS CLEMENS COLE-
US FRANCUS.
diem 18. Decembr.

Auditorio Majori.

PITTEBERGÆ
AKENIANO, MDCLII.

